Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1031
Quelle:
Copyright:

non tamen integra; versu nempe 26. abrumpitur. Lectio *per sudum* pro *per ludum* etiam hic, ut *Cod.* mox *cit.* stabilitur. Cetera cum edit. *Canisii* conspirant.

CCLXXXIII. VII. E. 2

320 Codex membraneus lat. Sec. saltem XI. Folior. 200. f. per 2. Columnas probe exaratus, meliorisque notae constat sequentibus: I. Tractatu *de principalibus Vitiis et Virtutibus.* Noveram argumentum istud a *Juliano Pomerio* jam Sec. V. agitatum fuisse, sed vix lectionem ingressus *Cap.* 1. *Gregorium in Job* citari deprehendi. Itaque ad *Rabanum Maurum* delapsus sum, cujus T. VI. *Coloniae* 1626. p. 125. Institutio haec legitur, diversa ab illa ejusdem Autoris, quae Editores *Coloniensis* fugit, licet jam a. 1560. cura *Wolfg. Lazii* titulo *de Virtutibus et Vitiis Antwerpiae* 8. lucem aspexerit. Habet porro nostra *Praeloquium* hujusmodi: *Cogitans ergo mecum quo modo christiano populo aliquod solatium preberem. quo melius contra antiquum hostem confligere posset. et christi gratia donante ad uictoriam ueram peruenire. excerpsi de sanctorum et catholicorum patrum scriptis aliqua testimonia. vnde qui uellent opuscula nostra legere. et coram quibus labor noster despectus non est. aliquod adiutorium acciperent ad regendum semet ipsos. et alios ad meliorem uitam corrigendos. Primum de octo principalibus uiciis et remediis contra eos* (sic) *opponendis. Deinde de uirtutibus sacris. et laude earum scribere decernimus. et sic ad ueram confessionis humilitatem. et ad poenitentiae remedium stilum uertere cogitamus.* Verum de ultimo hoc argumento, sive *Libro* III. qui in Editis incipit p. 130. nihil in nostro Codice. *Praeloquio* subjicitur *Elenchus Capitum Libri* I. quae numero sunt XVII. tractantque de *Superbia*, *uana Gloria*, *Inuidia*, *Ira*, *Tristicia*, *Auaricia*, *Gula*, *Luxuria*, subjectis cuique Remediis. *Cap. I.* in quo simul omnis horum vitiorum propago edisseritur, incipit: *A paradisi gaudiis postquam expulsum est genus humanum. octo criminalia in filios adae originaliter dominantur uicia* &c. *Liber* II. *Capita* censet X. *De Uita actiua, de Uita contemplatiua, de Fide, de Spe, de Caritate, de Virtute* in genere, *de Prudencia, de Iusticia, de Fortitudine, de Temperancia.* Ultima Operis: *Satis ut opinor ex tribus gradibus cælestibus scilicet fide. et spe. et caritate. nec non et uirtutibus quattuor. quibus ad culmina uirtutum ascenditur. est disputatum.* Nota, Opus etiam *Halitgario Camerac.* tribui ex *Canisii Lect. antiq.* in *Bibl. PP. Lugd.* T. XIV. p. 909.

II. *fol.* 20. *Incipit Expositio Bede in Cantica Canticorum.* Initium: *Osculetur me osculo oris sui. Salomon inspiratus diuino spiritu composuit hunc libellum de nuptiis christi et aecclesiae* &c. Si re ipsa *Bedae* sit Commentarius iste,

ut